


berg
s.
2
708





2747.

177

1368 K 944

Q. D. B. V.

philos.

DISPUTATIO POLITICA,
DE

2, 28

29

SERVO NATURALI

Ad Aristot. lib. I. Polit. c. 4. de Rep.

Clar. JO. FRIDER. HORNIO

opposita,

Quam

publicæ Eruditorum disquisitioni submittit

PRÆSES

M. IO. **Rudolph** THILO,

Kemb. Saxo,

&

RESPONDENS

CAROLUS FRIDER. BÜCHERUS,

Serveſta-Anhaltinus.

Ad diem 30. Mart. Anno cl. lvc XCIIIX.

WITTENBERGÆ,

Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, ACAD. TYP.

84.

1698

S.

1077



SEKVO NATURALI
Ab Joh. FRIEDRICH HORNER
M. FRIEDRICH THILLO
HORNER
HORNER
HORNER





Auxiliante & Fortunante Deo!

§. I.



Studia mortalium, ut fluxa
alioquin atque caduca, sic æque di-
versa & varia sunt. Sunt, qui ingeni-
um sapientia validum, industria a-
lunt: sunt, qui corpus exercent. Mu-
nus utrinque sanctum, & nexus ar-
tissimus. Nam utraqve pars per
se indigens, altera alterius auxi-
lio eget. Ganniat & garriat quorundam temeritas; re-
luctetur atque obvertat: nihil moror. Explosa jam
olim Platonis sententia est, qua communionem prisco-
rum seculorum sibi comminiscitur, & ab Aristotele 2.
Lib. 3. Polit. refutata. Quam tamen interpolare vide-
tur GROTIUS *Lib. 2. c. 2. de Jure B. & P. & c. 5. de Mari li-
bero*, Sed esto talis communio; & rerum communium
sequetur neglectus. Quilibet jugum jactabit servitii, at-
que adeo molem obsequii à cervicibus suis depellet.
Pro labore desidia, pro æquitate superbia, veluti rabes,
invadet homines. Ita vero moribus immutatis, æque

A 2

for.

107

fortuna mutatur: aliud alio fertur, miscenturque omnia.
Et nisi malum, intra sua primordia, extingves, omnem dis-
solves unionem; nexum, quo cives civibus copulantur,
rumpes. His autem convulsis scissisque repagulis, maxima il-
la moles Reipublicæ ruet illico, & præcepta distracta repente
cader. Non secus ac corpus organicum, imperatrice forma
illud relinvente, flaccescit ac interit denuo, dum singula e-
lementa sui juris esse cupiunt, tenduntque in dissidium, nec
desinunt, nisi soluta tota materiae compage. Omnis pro-
inde communio, & quam hæc parrurit, hominum
æqualitas, Republica exulat. Nam, præter illud,
quod multi duces perdiderint Cariam, etiam illud accessit,
quod ipsa natura, quæ plurimum valet, nobis implantave-
rit discrimen. Alii quippe, cui corpus robustum, prom-
ptumque ad servitia præstanda, est elargita, detraxit ingeni-
um. Alii vim atque acumen mentis impertiit, & negavit
corpus in servitia expeditum. Illum ad serviendum finxit,
hunc ad imperandum peperit. Ut adeo iste servus, hic do-
minus natura sit. Misso domino, servum naturalem ar-
cessam, & in exploranda indole ejus firmum vestigium po-
nam. Fiat feliciter.

§. II. Priusquam autem hujus negotii dignitatem sus-
cipiam, in antecessum dignam illam stilo & cura sapien-
tum quæstionem attingam: undenam orta sit servitus?
Proram puppimque omnis rei dicam. Gentilibus qui-
busdam indita erat olim persuasio: fas fore, ut Mar-
ti mactarentur illi, quos primum capiebant. Latius il-
la ibat consuetudo, & omnium gentium imbuebat men-
tes; donec omnes peræque trucidabantur, quicumque capie-
bantur manu. Refero in exemplum Afros: de quibus
POLYBIUS *Lib. 1. p. m. 81.* refert, quod Carthaginensium
capti.

captivos, ipsumque ducem Gesconem, præcis manibus, fractisque cruribus, in scrobem conjecerint. Revertor ad Pœnos. Appello Asdrubalem, Pœnorum Imperatorem. Cujus boni alioqvi nominis famam dente Theonino rodunt autores, quod quosdam Romanos captivos, oculis, lingua & pudendis mutilavit, cutem abrasit, & spirantes adhuc in furcas suspendit. Abibant paulatim ab hoc necis cruentæ arbitrio moderatiores populi, eosque, quos manu capiebant, tractabant mollius. Alterum in metallum, alterum ad remos aut ergastulum damnabant. Et quorum corporis partes ad servitutem erant appositæ, suis familiis adjungebant perpetuo; ea sub lege, ut pro alimentis ministeria præstare sibi stipularentur. Lacedæmonios in Græcia primos fuisse existimant Politici ex *Plinii lib. 7. c. 56.* qui bello captos in servitutem redegerunt. Unde etiam his nomen *servi* hæsit, quod *reservabantur*, non occidebantur. Quo collimat *Horatius lib. 1. ep. 16.* *Vendere cum possis captivum, occidere noli.* Longe antiquiorem servitutis originem suppeditant illi, quorum curam excitat cura sacrorum verborum. Aut fallit me animus, aut servitutis jugum commeruisse peccatum, moment, Satis, eheu! amplam nansiscebatur dignitatem primus homo, ad imaginem Dei factus. Imperabat, non imperata faciebat, soli Deo addictus. Postea vero imaginem Dei ivisse deperditum, quis Christianorum nesciusest? Devium hoc & periculosum iter erat; quod comitabantur magni & præcipites casus. Miserrima enim pariter ac infelicissima hominum conditio sequebatur. Calamitatem trudebat calamitas; ruina ruinam involvebat. Hoc immutabile fati decretum, hæc propria ipsi fixa necessitas, ut, sublata libertate, jugum servitutis abjectum & ignominiosum

illi paulatim imponeretur. Quo, ex parte, tendit PU-
FENDORFIUS *libr. 5. c. 3. §. 4. de J. N. & G.* inqviens :
Ab initio, cum homines à prima vivendi simplicitate disce-
derent, vitamque operosius excolere, ac rei agenda incum-
bere cœpissent, valde probabile est, à solentioribus & paulo
locupletioribus hebetiores & teniores ad operas sibi locan-
das fuisse invitatos. Mox cum utriusque illud commodum
experirentur, paulatim hosce adductos, ut istorum sese
familiis perpetuo adjungerent, iis sub legibus, ut hi qui-
dem alimenta, & qua alia vita necessaria sunt, illi autem
eorundem ministeria circa rem domesticam ex ipsorum pre-
scripto curandam, sibi stipularentur. Adeoque primam
originem servitutis dedisse ultroneum consensum hominum
tenuiorum, & contractum, do ut facias; do alimenta perpe-
tua, ut prestes operas perpetuas.

§. III. Accepimus servitutis originem. Ne autem
in ipso disputationis cursu cessem deinceps, quando pro-
xime a meta abesse videor, in transcurso multifariam liba-
bo servi acceptionem. Acceptatur enim servus, vel in sen-
su theologico, vel civili. Isto sensu quispiam servus existit
(1) *per creationem.* Ita omnes creatura est servus Dei, quia in-
servit gloriæ Dei, & in usus aliorum conditus est. Quo pacto
Deus dicitur producere herbam servituti hominum *Ps. CIV.*
14. (2) *per regenerationem.* Quæ servitus tantum est fi-
delium, qui serviunt Deo in sanctitate & justitia omnibus
diebus vitæ suæ *Luc. I. 17.* (3) *per legationem & ministe-*
rium. Quo pacto Moses servus Dei dicitur *Deut. XIV.* &
Christus ipse *Es. XLII.* Hoc sensu Philosophus servum fa-
cit duplicem: alium *φύσει*, alium *νόμω* constitutum. Hic
est, cui jus h. e. lex gentium servitutem imponit. Fitque
talis (1) *nativitate.* Sicut olim, qui ex servis & mancipiis
nasce-

nascebantur, dicebantur servi, *Ex. XXI. 4.* (2) *captivitate & bello.* Sicut Daniel, cum sociis suis, servus Nebucadnezaris factus, à quo in captivitatem adductus, & disciplinæ Chaldæorum traditus est. *Dan. I.* (3) *paupertate.* Quemadmodum Ægyptii, fame pressi, Pharaoni offerebant servitia, ut haberent alimenta necessaria, *Gen. XLVII.* Illum, de quo præsentem laborem auspicati sumus, ad servitutem adigit infirmitas; quando videlicet homo, per obtusum animi vigorem, ad semetipsum tutandum, ineptus est, & adeo, imperante natura, tenetur, se alii dare defendendum & alendum.

§. IV. Haud è re mea fore existimo, ut multas hic corradam definitiones, quibus passim autores indolem servi naturalis, cura quadam ac diligentia expresserunt. Suffecerit mihi, vestigia Aristotelis sequutum fuisse, qui servum naturalem *1. Pol. c. 4.* ita describit, quod sit ὄργανον ἢ ψυχον, λόγος κοινον ἔν, πρακτικόν, χωριστὸν κατὰ φύσιν, ἢ αὐτῶν, ἀλλὰ ὅλως ἀλλῶν. Monstruosa hæc & prodigiosa Cl. HORNIO videtur definitio. Idcirco *Pol. Archit. Lib. 1. cap. 3. num. 13.* ita scribit: *Definitio servi naturalis, nisi obscuritate foret tuta, vix effugeret culpam absurditatis.* Solo aurium iudicio Clariss. Vir existimat, quæ recto ponderare iudicio, animoque comprehendere debuisset. Spectabo verba Philosophi, & ea ab omni obscuritate æque ac absurditate vindicabo. Primo, non sine causa servum ab ipso vocatum esse ὄργανον, ostendam. Instruam hanc operam exemplo. Videbo artifices, usu instrumentorum promptos & exercitatos. Contemplabor eorum officinas, & apparebit, varias variis instructas esse organis, quæ ratio & conditio cuiusvis opificii exigit perpetuo, si opus confici & absolvi debeat. Ὡσπερ δὲ, inquit Aristoteles c. 1. τῶν

ταῖς ὠρισμέναις τέχναις ἀναγκαῖον ἂν εἴη ὑπάρχειν τὰ οἰκεία
ὄργανα, εἰ μέλλει ἀποτελεσθῆσθαι τὸ ἔργον, ἕτω καὶ τῶ οἰκονο-
μικῷ. Talem syllogismum quasi nectit: In omnibus ar-
tibus ὠρισμέναις, propria cujusvis artis requiruntur instru-
menta. Ars domestica est ὠρισμένη. E. Quæ sint τέχ-
ναι ὠρισμέναι, in disceptatione versatur. Haud multum
abfuit, quin tot horum nominum nascerentur explica-
tiones, quot librorum Aristotelicorum fuerunt versiones.
PICCARTUS in suo Comment, ad libr. Pol. Arist, lib. 1. cap.
4. p. m. 65. diversas diversorum recitat interpretationes.
Ego præeunte VICTORIO, quem itidem allegat PIC-
CARTUS, suspicor: per ὠρισμένας τέχνας Philosophum
subintellexisse absolutas perfectasque artes, quæ contradi-
stingvuntur illis, quæ inchoantur. Majorem argumenti
antea demonstratam dedi. Minorem probare nil attinet,
cum sole meridiano clarior sit. Unicum superest, quod
aliquem vellicare posset facile. Videlicet Aristoteles lib.
1. de part. anim. c. 5. instrumentum esse, dicit, alterius gra-
tia, & in effectum influere virtute ignobiliore. Quam de-
finitionem si applicabis ad servum, prima fronte, qua-
drata veluti cum rotundis mutare videberis. Tantum
videlicet abesse videtur, ut servus in effectum virtute
ignobiliore influat, & ab hero, tanquam causa superiore,
elevator, ut potius, in obeundis operibus, ab hero se se-
cernere, ejusque adjumento se disjungere possit, utpote
propriis viribus instructus, & operum servilium præstan-
dorum scientia imbutus. Cum itaque servus in semet-
ipso sufficiens subsidium habeat, cur aliunde idem ex-
spectaret, quod jure suo possidet, & possidentis proprium
perpetuumque est. Atque adeo speciem veritatis plau-
sibilem habent, quando minus recte servum salutari in-
strumen-

strumentum, nonnulli perhibent. Sed nodum hunc facile solves. Aristoteles enim non tam ad corporum vires, quam iudicii defectum, & prudentiæ imbecillitatem respexit. Servus, certe, quid conducat, quid obsit, prospicere nequit. Huic natura, ab adolescentia, magnam vim corporis, sed ingenium hebes & rude iniecit. Satis roboris, sapientiæ parum habet. Proinde Dominus, non aliter ac causa, præcipiendo ac præscribendo, quid agendum, quidve omittendum, influit. Sed quod ad servilium operum executionem spectat, corporis robore facile præstat omnibus, adeo, ut omni præsidio heri sæpenumero destitutus, opus nihilosecius conficiat atque absolvat feliciter.

§. V. Nulla proinde urget necessitas, ut hic LAMBINO accedam, qui in sua *versione ad lib. Pol. Aristot.* hæc verba: *ἐν ὁμοίᾳ εἶδει*, interpretatur: *in specie instrumenti*. Enimvero, quid Aristoteli sit *ἐν εἶδει ὁμοίᾳ*, perspicere est ex *lib. 1. Metaph. cap. 3.* ubi quædam dicuntur poni *ἐν εἶδει τῆς ὕλης*. Quod certe non est gerere materiæ similitudinem aut speciem, sed ad materiam pertinere, & sub ea comprehendi. Ita pariter *ἐν εἶδει ὁμοίᾳ εἶναι*, non est gerere similitudinem vel speciem instrumenti, sed sub instrumento comprehendi & instrumenti naturam habere. *vid. Hundeshagen peculiarem Dissertationem de Hero & Servo.* Utrumque pollicem Versioni LAMBINI premit HORNIUS, quando servum non tam esse instrumentum, quam habere instrumenti similitudinem, clare & manifeste subinnuit his verbis: *Dominus servo utitur tanquam instrumento ad familiae conservationem. num. 1. cit. loc.* Ex his & aliis haud illegitima sequelæ ratione colliges: servum revera non esse instrumentum. Quod enim est tanquam instrumentum,

B non

non est ipsum instrumentum, sed speciem ejus solummodo gerit & similitudinem. Ad profligandam autem hanc Cl. HORNII opinionem, adducere juvat distinctiones illas, quibus ipsemet Philosophus discernit (1) instrumenta animata ab inanimatis. (2) ratione prædita à non præditis. (3) activa ab effectivis.

§. VI. His rite observatis distinctionibus, quemlibet, si negat, servum esse instrumentum, jubeo, ut caput Helleboro purget. Non est autem, quod multis in qualitatem harum distinctionum inquiram. Bonitatem earum ipsemet demonstravit Philosophus. Primam illustravit exemplo organorum navaliū, inquit cit. loc. εἶον, τῷ κυβερνήτῃ, ὁ μὲν ὄραξ, ἀψυχον : ὁ δὲ πτερωτός, ἐμψυχον. Gubernator navis, præter clavum, quo adjutore regit navem, habet etiam πτερωτά, qui voces ejus & mandata attendens, res navales curat dirigitque. Ex his intelligas facile, quales sit instrumentorum diversitas, quæ spectat ad hanc curam. Ibi navem & ejus gubernatorem, hic patrisfamiliam respicit & larem. Ut itaque, Philosophus servum veluti ὄργανον πρὸς ὀργάνων distinguat ab aratro, malleo, serra, generi annectit differentiam specificam, dicitque quod sit ὄργανον ἐμψυχον. Quæ voce adjecta, instrumentum, quod generis naturam in definitione induit, limitibus ex parte definitur, quos non egrediatur, nec proferatur ultra. Posteriores distinctionem olim non admittere visus est Hospes Atheniensis apud Platonem *6. de leg.*, utpote qui servos omni ratione spoliare non dubitabat. Explodebat hunc errorem Aristoteles, dicens: λέγουσιν ἔκ παλαιῶς οἱ λόγοι τὰς δόξας διαφερόντως *circa finem lib. 1. de Rep.* Pleni perfectique rationis usus raro quidem compotes sunt. Quod autem in iis aliquod rationis vestigium sit, documento est eorum
in-

intellectus & voluntas, vi quarum facultatum iussa heri
intelligunt non solum, sed etiam iisdem obsequuntur.
Recte proinde Philosophus servum ulterius definit, quod
sit λόγος κοινόν. Quo predicato distinguitur iterum ab
organis ratione non præditis. Et cum præter hæc etiam
dentur ὄργανα ποιητικά, quæ usum potius præbent, quam
fructum, tertiam annectit differentiam & pergit, quod
sit ὄργανον ψευδικόν, à quo scilicet fructus obtinetur, qui
commoditati vel jucunditati inservit. Χωρὶς δὲ ὄργανον
dicatur servus, non est, quod quisquam quærat. Dicam
paucis. Ita videlicet distinguitur ab illis organis, quæ,
corpori adhærent, qualia sunt manus, digiti, pes, &c. quæ
separato corpore, pereunt & instrumenta esse desinunt.
Servus autem, qui est pars quædam domini, sejunctus
etiam ab herò, mandato ejus accepto, manet instrumen-
tum, sibiqve commissa negotia exsequi valet. Non va-
cat mihi esse prolixo. Quæ fusc à me hætenus prolata
sunt, contraham in pauca, terminos in fasciculum col-
ligendo: Quodcunque (1) virtute ignobiliore influit in
effectum, (2) à causa superiore elevatur, (3) amota utili-
tate ad aliud, ipsum per se non expetitur, illud vere est
instrumentum. Atque servus. E. Porro: Servus, si
est instrumentum, erit (1) vel animatum, vel inanima-
tum, (2) vel ratione præditum, vel non præditum, (3)
vel practicum, vel effectivum. Sed non est inanima-
tum, neque ratione non præditum, neque effectivum.
E. erit animatum, ratione præditum & practicum.
Quod erat demonstrandum. Major ex immediata op-
positione terminorum constat. Minorem in anteceden-
tibus excussi.

§. VII. Faciliora fuerunt, quæ hætenus exposui.
Nunc ad paulo difficiliora properabo. Diu enim jam.

B 2

inter

inter sapientiores certamen fuit : deturne servus' naturalis, nec ne? Ego præcunte Aristotele, principe Philosophorum, id affirmatum ibo. Clar. HORNIIUS iterum nobiscum divortium facit, quando ait *num. 10. cit. loc. Nos præter servum, quem legalem vocat Aristoteles, alium non habemus.* Non me latet sententia Jctorum, qua servitutem, constitutionem juris gentium esse, eandemque, adversa fronte, cum naturali æqualitate pugnare, docent. *vid. Ulricus Huberus in tractatu de Jure Civili. Lib. II. cap. III.* Sed tantum abest, ut Jcti pollicem premant sententiæ Hornianæ, ut potius eundem convertant. Isti enim per naturam, statum naturæ seu conditionem hominum primævam, non jus naturæ seu dictamen rectæ rationis intelligunt. Itaque esto : ex eodem coelo spiritum trahere omnes. Do pariter & concedo : nullis unquam naturam, sed fortunam dominium & servitium dedisse. Scio etiam jure naturali omnes homines liberos nasci; ut adeo temere non repugnem, si dixeris : omnes homines naturali libertate ex æquo gaudere. Verum non quæstio est, utrum homo, vel in conditione primæva, vel, non respectu habito ad constitutionem hominum, qua servitutem introduxerunt, spectatus, natura duce, possit esse servus. Sed cardo rei in eo vertitur : Utrum non naturæ sit congruum, ut, antecedente juris Gentium autoritate, qua imperium & servitium concessum est, illi, quem natura robusto corpore dotavit, & per ingenii hebetudinem impos sui tuendi est, necessitas obsequii injungeretur. Clar. HORNIIUS servum naturalem, quocunque modo etiam dicatur, rejicit, dicens *num. II. cit. loc. Ut naturalia imperia, sic servitia ignoramus.* Turpiter hic & vehementer in limine statim impingit. Quæcunque enim ex partibus

bus constant, sive conjunctis, sive disjunctis, in iis ferme omnibus imperii & obsequii differentia naturalis conspicitur. Homo, exempli causa, & anima & corpore constituitur. Anima imperat, corpus paret. Idque & vulgus & sapientes agnoscunt. Sensus & ratio docent. Philosophi & Theologi comprobant. Et quis nescit, hominem omnibus imperare brutis? In qualibet etiam specie animalium sexus potior imperium tenet.

§. VIII. Urget præsertim HORNIUS connexionem horum terminorum: *Quicumque alterius esse potest, ille est natura servus.* Ita forsitan, pergit num. 16. cit. loc. *omnes homines natura servi erunt, cum nemo satis præcavere possit adverse fortune casus, & nemini à natura jus datum sit, ne unquam serviat.* Legalis quoque servus alterius esse potest, & alterius est, ideoque natura servus? Hæ sunt præcipuæ machinæ, quibus se veluti Hector jactat Clariss. Vir, & nos à veritatis tramite abducere sagit. Sed quid virium obtineant, mox patefcet. Reliquis jam posthabitis, in mentem Philosophi confestim inquiram. Et quis quæso adeo rei literariæ rudis & barbarus erit, ut non animadvertat, Philosophum non sine nota *ἀνεβείας* dixisse: *qui alterius esse potest?* Actu quippe non semper ille, cui corpus patiens servitii, & ministerio commodum aptumque est, servit; attamen potentia unumquemque nomine servi nuncupamus, qui non recto & genuino rationis usu, sed corporis robore pollet, tamen non de facto servitia præstet. Sic omnes barbaros Philosophus vocitat servos. Sic inter moderatiores populos, plerique natura & studio feruntur ad servitia. Sunt proinde natura servi illi, qui ita obtuso & stupido sunt ingenio, ut non nisi, agrum colendo, aut venando, aliisque servilibus officiis, ætatem commode &

cum fructu tertii, agere possint. Quo sensu certe nō omnes homines æque natura servi sunt, ut HORNIUS contendit. Sunt enim, qui & sapientia munitum pectus gerunt, quiqve à servitute, summa, qua pollent, ingenii felicitate, detinentur; eo magis, quod non solum sibi metipsis possunt prospicere, verum etiam aliis regendis sufficiunt. Ut satis jam obvium sit, jus naturæ, quatenus à ratione civili informatum, svadendi quoque norione hic exserere vim suam & suggerere illud: Imperabis. Cæteroquin, quod verissime non minus quam gravissime sentit PUFENDORFIUS *de J. N. & G. lib. 3. c. 3. p. m. 350. longe absurdissimum foret, credere, ab ipsa natura statim actu prudentioribus in hebetiores esse imperium datum, aut saltem tale jus, ut illi hosce etiam invitos ad serviendum redigere queant. Nam, ut actu constituatur imperium, factum aliquod humanum antecedere oportet. Et nequaquam aptitudo naturalis ad imperandum statim alicui dat imperium in eum, cui à natura ingenium est servitio aptum. Neque statim, quod alteri est utile, id licet mihi per vim ipsi imponere. Nam homines naturali libertate ex æquo gaudent, cujus diminutionem ut patiat, necessum est ipsorum consensus expressus vel tacitus, aut interpretativus accedat, aut aliquod ipsorum factum, quo aliis jus fuit quesitum, eandem vel invitis eripiendi. Nihilominus unusquisque, quem natura hujus virtutis compotem non fecit, ut semetipsum tueri queat, natura servus est, tametsi non raro, collata in eum potestate jubendi, stet in fastigio augustæ dignitatis. Nulla hic certe exceptio datur, nullum effugium patet, uno nec rima quidem. Id autem discriminis subest inter servum legalem & naturalem; quod hic non actu semper sit alterius, sed quandoque Dominus: iste vero semper actu alterius, non secus ac pars Totius est.*
Quem-

Quemadmodum autem partes Totius sunt, non ratione categoriæ, vel respectu prædicamentali, sed proprietate & natura, ita pariter etiam servus domini est, non tantum comparative, vel relative, (sic enim dominus etiam esset alterius scil. servi) sed proprietate & possessione totus domini sui est.

§. IX. Objicit HORNIUS ulterius *cit. loc.*: *aptitudo imperandi, ut imperium nullum producit; sic in servitutem neminem detrudat rudior illa & stupidior simplicitas ingenii.* Effugium hisce non obstruitur. Annon enim imperium postulat de jure ingenium sublime, & servitus contra abjectum. Quodsi enim ille, qui per ingenii hebetudinem ad imperandum ineptus est, prudentioris imperio subjiciatur, sine dubio statum nactus est suæ indoli convenientem. Cæterum in exemplis anomalias occurrere, quis negabit?

§. X. Instat porro, & telum è statu legali petatum in Aristotelem torquet, inquiens: *num. 20. cit. loc. Da mihi hominem, tam stupidum ac fatuum, ut Seneca joco, regnare etiam possit: hunc stolidum regem, summa potestate fruentem, in ergastula servorum compinges, cui associandi omnes proceres, robusto corpore, exili ingenio decorati. Contra omnes servi callidi, qui dominio alterius subditi revera erunt, si sagacitate polleant, in classem dominorum evehes. Ita contraria tandem idem subjectum inhabitabunt, & dominus erit servus: servus in dominum evadet.* Omnis confusio tollitur, eo ipso, dum intellectus rem confuse concipere cessat. Regem, quem sibi fingit HORNIUS, stolidum & stupidum, natura, quæ nihil frustra facit, monstrante, non sceptrum, non purpura sacra aut galerum, non diadema regni, sed, nescio quid, decet. Verum esto calliditate & ingenio eximius servus,
domi.

dominus non item, diversus tamen respectus non tollitur. Hic erit servus potentia & natura, quamvis non actu; ille vero de facto servus, dignus qui regno praeficiatur. Neque tamen id officit juri. Sicitur hoc intra concessionis fines. Satis habet dictare impotentem potestati potentioris esse subjiciendum.

§. XI. Quod recta via obtinere nequit, saepius Cl. HORNIIUS, victo veritate animo, obliqua tenet. Enimvero, auferre nunc domini serviqve vocabula & delere ex physicis conatur, inquiens *num. n. cit. loc. Confusio ingens dominorum & servorum introducetur hac doctrina. Servus & dominus politica vocabula sunt. Phisicis & naturalibus rebus non commiscenda, universa naturalis Philosophia, nihil novit de servo aut domino. Cuique habituum sui limites & aggeres positi sunt: quos si movemus & transferimus, data opera miscemus doctrinas.* Perinde quasi objecta materialiter considerata non possent in diversis disciplinis perlustrari. Sic primus motor aeternus cognoscitur a Philosopho naturali, ut causa aeterna motus in corpore naturali: a primo autem Philosopho ut tale ens, & ut prima substantia: Sic magnitudines & figurae a Philosopho naturali considerantur prout sunt affectiones corporum: a mathematico autem, ut mente ab his corporibus abjectae. Pari modo servus & dominus, si considerantur, ut hic vel valeat ingenii felicitate, vel ille robusto corpore instructus, hebes aequae ac pecus sit, & non simul spectantur, ut dominio vel servitute legali digni, sunt utique scientiae naturalis. Quoties autem dominus & servus naturaliter dicti, ut potentia legales, considerantur, toties ad scientiam civilem perpetuo revocantur.

SOLI DEO GLORIA!

WITTENBERG, DISS., ERGÄNZBAND, 2
1668/1708

ULB Halle 3
001 507 230



7A-206

1077





2747.

1368 K 944

Q. D. B. V.

philos.

2, 28

29

DISPUTATIO POLITICA,
DE
SERVONATURALI

Ad Aristot. lib. I. Polit. c. 4. de Rep.

Clar. JO. FRIDER. HORNIO

opposita,

Quam

publicæ Eruditorum disquisitioni submittit

PRÆSES

M. IO. **Rudolph THILO**,

Kemb. Saxo,

&

RESPONDENS

CAROLUS FRIDER. BÜCHERUS,

Serveſta-Anhaltinus.

Ad diem 30. Mart. Anno cl. lxxc. xciiix.

WITTENBERGÆ,


Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, ACAD. TYP.

84.

1698

S.

107



B.I.G.

Farbkarte #13